



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

Viris Nobilissimis Et Generosissimis, Jacobo Godino, Domino Boelesteinii,
Amisfurtensium Prætori, Et Johanni Ludovico Godino, Domino
Maarsenbroekiaë, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

VIRIS NOBILISSIMIS
ET GENEROSISSIMIS,

JACOBO GODINO,
DOMINO BOELESTEINII,
AMISFURTENSIIUM PRÆ-
TORI,

ET

JOHANNI LUDO-
VICO GODINO,
DOMINO MAARSEN-
BROEKIÆ, CANONI-
CORUM ÆDIS MARIÆ
TRAJECTI AD RHE-
NUM PRÆPOSITO,
FRATRIBUS GERMA-
NIS,

S. P. D.

ANTONIUS BYNÆUS.

* 3

DE-

DEDICATIO.



Mnes homines, quos non humiles & plane fordidos natura finxit, summa opem niti decet, ut ingrati animi notam effugiant. Quod vitium ad plurimos propagatum est, qui multis & maximis beneficiis cumulati, ea dissimulant vel obliviscuntur. A quibus ita dissentio, ut quidvis potius in me desiderari quam gratum animum malim, & omni ratione cavendum existimem, ne vel ipsam tanti criminis suspicionem incurram. Quare, cum Vos, Nobilissimi GODINI, ex eo ipso die quo mihi aditus ad amicitiam vestram patuit,

DEDICATIO.

tuit, quam præcipue mihi
conciliavit vir optimus, &
inter prima seculi ornamenta
numerandus, literarum jam
senescentium reductor & re-
formator, J O H A N N E S
G E O R G I U S G R A E V I U S,
cujus judicio inprimis mul-
tum tribuitis, de meis com-
modis & ornamentis non co-
gitare solum, sed agere etiam
cæperitis, & nullum officii
aut studii genus, quod qui-
dem ad meam, sive utilita-
tum, sive laudem pertineat,
prætermiseritis, meritorum
Vestrorum conscientia me
dies noctesque sollicitat, &
tanquam acerrimus flagitator
affiduo convitio urget, ut
gratæ voluntatis significatio

* 4

elu-

DEDICATIO.

eluceat. Sane flagitium nunquam expiandum me committere censerem, si, cum Vos omni genere virtutis excellentes, ampla dignitate præditi, acerrimi in cognoscendis hominibus iudicii, in me ornando fitis assidui, istam Vestram ad me augendum tam propensam voluntatem, plurimi apud me & esse, & semper fore, non significarem. Id hoc tempore quare alia consequar non video, nisi ut mittam ad Vos muneri hos libellos, in quibus nihil aliud mihi propositum fuit, quam ut adferrem aliquid auxilii nonnullis obscuris Sacri Codicis locis, & iis literis, quarum singularis pulchritudo

do

DEDICATIO.

do mentem meam usque à
puero admirabili quodam sui
desiderio incenderat. Par-
vum munus, fateor: sed &
à magno animo proficiscitur,
& Vobis non ingratum futu-
rum confido, quos non tan-
tum his insigniter oblectari,
verum etiam ea esse eruditio-
ne scio, ut si quid à me di-
ctum est quod antiquitatem
& nobilium auctorum monu-
menta illustret, bene de eo
præclareque judicare possitis.
Valete Fratres Nobilissimi.
Piershillæ in Batavis A. D.
IX. Kal. April. Gregor. MD
C LXXXII.

* 5

LE-

LECTORI
BENEVOLO.



ALCEUM, *immun-*
dissimam pedum tu-
telam, summa to-
tius orbis ingenia
non indignum judicarunt,
quem magna diligentia descri-
berent, qualis apud Græcos
& Romanos fuerit. Præter
ea quæ passim monuerunt
Adrianus Turnebus, Iustus
Lipsius, & complures alii, qui
doctrina præ cæteris florue-
runt, multum studii operæque
posuerunt viri elegantissimi &
pereruditi Benedictus Bal-
duinus, Albertus Rubenius,
&, qui Caligam peculiari
dissertatione asseruit, Julius
Nigronus. Ipsi literarum
princi-

LECTORI BENEVOLO.

principes Isaacus Casaubo-
nus, Claudius Salmasius,
Octavius Ferrarius, de Græ-
corum & Romanorum calceis
multa docuerunt, plura præ-
stituri, nisi inevitabili fato-
rum lege Reipublicæ literariæ
erepti fuissent. Si industriam
suam in calceis Hebræorum
æque exercuissent homines
maximi, quorum merita erga
sacram literaturam nulla ta-
cebit ætas, supersedere po-
tuisssem hoc labore. Monue-
runt quidem varia viri exi-
mii, tum qui perpetuos in
Sacrum Codicem commenta-
rios, aut in partes ejus ali-
quot congesserunt, tum qui
alia præclara monumenta edi-
derunt in lucem. Sed nemo,
* 6 quod

LECTORI BENEVOLO.

quod quidem ego sciam, hanc
materiam cum cura tractavit
& singulari volumine com-
plexus est, & omnes illi non
tantum plurima posterorum di-
ligentia reliquerunt, uti mul-
ta adhuc latent in divinæ sa-
pientie arcanis abstrusa at-
que abdita, quæ eliciet &
evocabit in lucem qui iis
investigandis suum studium
dederit, verum etiam sæpissi-
me errarunt, uti nemo tam
propitia Minerva natus est
ut nunquam dormitet, quod
profecto neque cuiquam un-
quam contigit, & majus est
quam ut convenire in huma-
nam fragilitatem queat. Qua-
re hoc argumentum occupavi
ego, & paulo plenius ac ube-
rius

LECTORI BENEVOLO.

rius pertractavi, ut multa
sacrarum literarum loca, ob-
scura atque tenebricosa &
nondum satis intellecta, ex
Hebræorum & aliarum genti-
um antiquis monumentis ali-
qua luce perfunderem, &
depulsa tetra caligine & den-
sissimis nebulis, redderem
quam clarissima. Constat
enim sine hoc literarum & an-
tiquitatis instrumento, ne
millesimam quidem partem sa-
crorum voluminum posse in-
telligi, & eum, qui non in-
structus hac face in Prophe-
tarum & Apostolorum scrip-
tis recte enarrandis se versa-
ri posse persuasum habet, non
minus falli, ac qui in terra
Cimmeriorum, perpetua no-

LECTORI BENEVOLO.

*Ete mersa, nullo praelucente,
sine cespitatione & sine errore
incedere se posse existimat,
cum loca innumera nihil ma-
gis intricata & difficilia red-
dat, quam vetustorum rituum
ac morum, præcipue Judaico-
rum, ignorantia, quæ nemo,
licet ingenii divinitate om-
nes antecellat, & cæteras
disciplinas non ignoret, sine
eorum cognitione & penitiori
notitia, unquam explicabit.
Vale, Lector benevole, &
hoc opusculum, quod novis
indies accessionibus crescet,
limatius in secundis curis ali-
quando expecta.*

In-